

Christian Schildt August Klippel

## **Disputationum Politicarum Quarta De Magistratu**

Rostochii: Saxo, 1622

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730899160>**

Druck Freier  Zugang



Graes:

Schilt, Christian.

Resp: Aug. Klippelins

R. M. jurs. 1622







Disputationum Politicarum

QVARTA

DE

AGISTRATU.

Quam

Opitulante JEHOVA,  
celeberrimâ Rosarum Academiâ

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI SCHILTI

Thuringi, LL. Studiosi

Defendet

GUSTINUS KLÜPPELIUS

Dantisco-Borussus.

ad diem Decemb. horis à 7. matutinis.



ROSTOCHIL.

Typographiâ MAURITI SAXONIS,

ANNO M. DC. XXII.

434866

43







Disputationum Politicarum  
QVARTA  
DE  
MAGISTRATU.

*Quam*

Opitulante JEHOVA,  
*In celeberrimâ Rosarum Academiâ*

*SUB PRÆSIDIO*

M. CHRISTIANI SCHILTI  
Thuringi, LL. Studiosi

*Defendet*

AUGUSTINUS KLÜPPELIUS  
Dantisco-Boruffus.

*ad diem Decemb. horis à 7. matutinis.*



ROSTOCHIL.

*Ex Officinâ Typographicâ MAURITI SAXONIS,*

ANNO M. DC. XXII.

*Inv. III 434.866*

*d. 43. nicht auf dem*



MAGISTRAL

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

1950. FBI 104





Disputationum Politicarum

QUARTA

# DE MAGISTRATU.

Quam defendet

AUGUSTINUS CLÜPPELIUS

Dantisco - Borussus.

THESIS I.

**D**E Republicâ in precedenti disputatione satis actum, nunc ad ejus partes transitus noster instituendus, constat autem duabus partib. Magistratu, qui capitibus, & subditis, qui reliquorum obtinent rationem membrorum; nos jam subditis paulisper rejectis, non omninò neglectis, de Magistratu impræsentiarum sumus acturi.

2. Magistratum autem à Magistro quod significat moderor, gubernor originem ducere, testis est Festus, & hac notatio desumpta est ab effectu, Magistratus enim est, qui subditos regit, moderatur atq; gubernat, non secus uti Magistri suos discipulos. Hinc etiam moderatores & Duces dicuntur Græcis ἀρχαὶ καὶ ἀρχόντες h. e. imperantes ἄρχοντες i. e. edicere, imperare; Hac enim est vis Magistratus, ut rectè præsit, & præscribat recta & utilia Cic. lib. 8. de ll. Nam ut Magistratui leges, ita Magistratus populo præsent.

3. Magistratus autem appellatio dupliciter sumitur, concretivè vel abstractivè; concretivè designat ipsas personas, in officio magistratus constitutas, quo in significato & hoc

G

potissi-



potissimum loco à nobis sumitur; vel sumitur etiam abstractivè pro potestate sive officio, de quo Paulus Rom. 13. v. 1. & 2.

4. Varia nomina Magistratui tum in sacris literis, tum & à politicis & historicis attributa passim reperiuntur. Dicuntur Dii, Ps. 82. v. 1. & 6. propter officium, quod gerunt, Divinum, siquidem sunt terrestres quidam Dii sive Dei summi in his terris legati & veluti vicarij; ἐξουσία b. e. potestates vocantur, Rom. 3. Τάξαι ibid. Diaconi Dei, ibid. Caesares dicuntur, Matth. 22. vocantur clementes & benedige Herren Luc. 22.

5. Desinimus hinc Magistratum (concretivè consideratum) personam publicam, legitimam imperandi potestate instructam, ad bene regendam & administrandam Rempublicam. Haen. disp. pol. 3. th. 2.

6. Magistratus autem vel immediatè à Deo, cujus rei illustre exemplum extat in vocatione Moysis, Exod. 3. vel mediatè, & tum vel per successionem, vel per electionem constituitur; electionem tamen quidam, successionem solam in usu retentam, omnino rejiciendam putant.

7. Verum, non adducor, ut credam Reipub. obesse electionem, rectè enim institutam suffragatione, nullis illaqueatam praedictis, quis neget optimum quemque, per electionem reperiri? Quis non conetur Reip. suae, cui consulit, proficere eum, quem scit à natura & arte ad frena Reip. capeffenda bene instructum? Quamvis successionem plerumque tutiorem fore, neg. negemus, neg. ignoremus, id quod satis probat tristissimum belli Bohemici incendium, paucis abhinc annis exortum, & per totam Europam imò ulterius suas dispergens flammam, quamquam animus meminisse horret, ludug, refugit!

8. Videndum itaque, prius num regnum electivum an successivum, in hoc per successionem merito progredimur, in illo electioni locum relinquentes.

9. In successionem liberorum primus est gradus. Arg. l. 12. ff. de



ff. de suis & legit. har. l. nam & suis, in princ. ff. de inoff. test.  
& ratio naturalis quasi lex quadam tacita liberis parentum,  
hereditatem addicit, veluti ad debitam hereditatem eos vo-  
cando §. sui autem. 2. J. de hered. qual. & diff. l. cum ratio 7.  
ff. de bon. dam. cum etiam vivo patre Domini quodammodo  
existimentur l. in suis 11. ff. de lib. & postb. l. 7. ff. Si tab. test.  
null. Forster tract. de success. lib. 4. c. ult. n. 36. Cujac. 1. Feud.  
11. Menoch. 5. presunt. 33. n. 38. reliquisq; preferendus est na-  
tu major; Ita tamen, ut fratribus suis, de alimentis honestè,  
dignè, & congruè sic provideat, ut & ipsi statum suum & lo-  
cum pro dignitate tenere possint, & ut primogenitus regnum,  
sibi commissum à nimio onere liberum retineat, l. 5. ff. de agnosc.  
lib. & l. 3. & 4. C. de alend. lib. Tiraq. tr. de primogenit. quest.  
4. CL. Dn. Cotbman. resp. Jur. 1. vol. 3.

10. Circa Electionem duo potissimum observanda,  
1. Sexus, non enim femina, sed Mas eligendus. 2. bona animi,  
ut sc. virtutum laude sit insignis, qui eligitur, quem omnes tum  
pro se, quàm supra se sciunt futurum; Virtus enim præcipuum  
& primum est requisitum, & qui probata vita sunt, ceteros  
omnes antecedunt, l. 6. in princ. C. ad l. Jul. repetund. l. 1. in  
fin. C. de off. Mag. Offic. Cura ergò adcurata electionem anteat,  
ne pœnitentia subsequatur pedissequa; secundariò etiam conside-  
randa ætas, statura, & c.

11. Est autem Magistratus vel summus vel subordina-  
tus, ille est, qui alios magistratus sibi habet subordinatos, quo-  
rum respectu summus dicitur, estq; vel absolutè summus, vel  
respectivè, absolutè summus est Cæsar sive Imperator Roma-  
nus, qui κατ' ἐξοχὴν Monarcha appellatur, hic enim nullum su-  
perioiorem recognoscit, nisi Deum & ensẽ, uti communi Ele-  
ctorum Imperij decreto, Anno Christi 1338. publicato pronun-  
ciatum est, Schönb. 5. pol. c. 5.



12. Summa autem, quâ Imperator præ cæteris gaudet principibus, prærogativa, est superioritas Majestatica, nulli enim ut modò dictum, mortalium subesse dicitur, nam mundi dominatus ipsi tribuitur, l. 9. ff. ad l. Rhod. de jact. Nov. 105. c. 2. in fin. Qui enim suis consilijs suisq; laboribus pro toto terrarum orbe diu noctuq; laborat, quare non habeat dignam suâ fortunâ prærogativam? l. 3. in fin. C. de quadrien. præscript. Vigore hujus universalis jurisdictionis Cæsar omnes supra leges authoritatem habere dicitur, Nov. 105. c. 2. in fin. l. princeps 31. ff. de ll. l. 3. C. de crim. sacril.

13. Sed quid ad hoc affeclæ pontificis? papam hi pro summo principe agnoscunt, & quantum Sol Luna, aurum plumbo, anima corpori præstat, tantum etiam papam Cæsari præstare nugantur. c. solitæ §. paterea. de Major.

14. Verùm, ut ridicula, ita certè bruta ista pontificū fulmina in Imperatores icta nil quicquã efficaciæ & roboris obtinent, nam extra territorium jus dicenti non paretur l. ult. ff. de jurisd. Faceßat ergò ista in S. C. M. insultatio, qua nulli, ut pluriès dictū, subjecta, libertate verò summa à Deo donata est & censetur.

15. Supremam autem hanc Cæsaris præminentiam probant jura Majestatis, qua nostrâ linguâ, Kånserlich sonderliche Hochheiten vnd Reservaten vocantur, ipsiq; tum in signum superioritatis, tum in laborum premium, tum ad cognoscendum supremum decus, authoritatem & excellentiam, competunt, de quibus breviter dicturi sumus.

16. Primum autem ac præcipuum Majestatis jus est sanctio legis universalis, summa enim illius potestatis vi, Imperator leges universales olim pro suo arbitrio condidit. l. tanta 2. C. de Vet. jur. enucl. & l. fin. C. de ll. & l. aliquando C. de Inoff. test. Hodie cum ad sensu & consilio Statuum Imperij leges Universales condit & suo nomine & authoritate divulgat. Legem verò specialem & localem cæteri inferiores principes &



pes & status Imperij in suis territorijs & provincijs rectè con-  
dunt, Imperatorem enim in suis provincijs representant, & in  
ijs, quæ veniunt jure Magistratus, tantum in territorijs suis  
possunt, quantum Imperator in universo Imperio.

17. Alterum Majestatis jus est in bello quod penes Im-  
perat. est. Huic enim belli pacisq; arbitrium relictum est l. 3.  
ff. ad L. Jul. Maj. l. 17. C. de Re milit. l. unica. C. ut armorum  
usus l. 3. C. de agent. in reb. Ord. Cam. p. 2. t. 15. ibi,  
auß der Kayserslichen Majest. über unserm zugeben. R. A.  
zu Augspurg de An. 55. §. wo sich aber / & §. seq. & in crimen  
lese Majestatis incidit, qui bellum in Imperio sine licentiâ Cæ-  
saris movet. d. l. 3. ad L. Jul. Maj. Hodie verò hoc jure Im-  
perator cum Electoribus in communi utitur, ut ita novis Im-  
perij constitutionibus non indicatur bellum, nisi Cæsaris Electo-  
rumq; suffragijs. R. A. zu Augspurg d. l.

18. Infeudatio insuper Principum, Comitum, Baronum  
& reliquorum Vasallorum immediatè Imperio subjectorum ad  
reservata Majestatica pertinet.

19. Dubium etiam nullum est, Cæsarem omnis dignitatis  
& nobilitatis esse fontem. Ar. l. 3. ff. de Nat. rest. Tantis  
enim est, ut ex mortalibus parem habeat neminem; Ab hoc  
promanat Regalis splendor, Ducalis auctoritas, Comitiva di-  
gnitas, Nobiliumq; omnium jura inde suam trahunt originem.

20. Hinc Quartū Majestatis jus, quod est taliū dignitatū  
collatio. Sic Reges creat Imperator Romanus, ut Henricus  
IV. Bohemia Ducem. Fridericus I. Dania Ducem. Item  
Duces; ut Fridericus Barbarossa familiam Austriacam, qua  
Marchia nomen habebat cum dignitate in Ducatum evexit;  
Huc pertinet Comites & Barones creare, Nobiles efficere, Do-  
ctores, Licentiatos, Magistros, Comites Palatinos, Tabelliones,  
Notarios, Poetas & c. constituere.

21. Universitates, solius Imperatoris est, erigere; hinc  
illi



illi, qui in *Academijs* studiorum suorum fiduciam habent sperantq; posse *Rempub.* in partibus ejus sibi concedendis gubernari, dignitatibus & honoribus cumulari solent, aſt unde? nonne ab illo, qui dignitatum fons eſt, *Casare* ſc. qui privilegij *Academiam* fundavit, fundatam honoribus auxit, auctam plenâ libertate frui juſſit? Alterius ſiquidem ad probationem non requirendam ducimus, ne quidem Pontificis, meritò enim ejus ſpernenda *jurisdictio*, quippe que extra territorium *jus dicentis* exercetur. l. fin. de *jurisd.*

22. Hujus generis etiam eſt *Naturalium*, ſpuriorum, *legitimationis* l. 3. ff. de *nat. reſt. Nov.* 89. c. 9. atq; illi, qui hoc modo legitimatedi ſunt, nihil à legitimis differunt. *Schurff. conf.* 2. Præterquàm quòd ad feudorum ſucceſſiones ſint inhabiles. *Mynſ.* 5. obſer. 42. n. 5. *Geil.* 2. obſ. 141. n. 8. *Borch. de feud.* c. 7. part. 2. n. 48. Vult. ad §. fin. *Inſt. de Nupt. in fin. niſi nominatim* ad feuda facta ſit legitimationis. *Mynſ. d. obſ. n. 6.* Huc pertinet *jus famæ reſtituendi*, *Cacher. deciſ.* 101. n. 2. Itemq; *venia ætatis* conceſſio l. 1. & *tor. tit. C. de his, qui ven. ætat.*

23. Hujus ordinis eſt extrema provocatio l. 1. §. 1. ff. à quibus appell. non licet. Extrema enim provocationis jus tam ſanctum habetur, ut qui ſciens prudensvè à ſummo Principe provocarit, capitali fraude teneatur, niſi forſan exemplo *Machetæ*, cujus iudicio ubi præerat *Philippus Macedonum Rex* & dormitans non obſervabat, quibus ille iuribus ſe tueretur; ideoq; illum damnabat & exclamavit *Macheta*, ſe provocare, quo audito, iratus inquit *Philippus*, ad quem provocas? Reſpondit *Macheta*: Ad teipſum ò *Rex*, ſiquidem vigilans & attentus audias, & c. & hoc jus nunquam à Duce *Marchione*, vel *Comite*, ne ab illo ad *Cæsarem* provocetur, præſcribitur, exceptis, qui privilegio ſpeciali jus illud queſitum habent.



24. Privilegium autem hoc de non appellando indultum est 1. Electori Saxonie ex Aurea Bulla, deinde Sigismundi Imp. beneficio: 3. id ipsum pleniùs concessum à Ferdinando Cas. Anno 1559. die 2. Maij. Credidit enim summus Princeps, eos, qui ob singularem industriam, exploratâ eorum fide & gravitate, ad hujus officij magnitudinem adhibentur, non aliter judicatos esse pro sapientiâ ac luce dignitatis suâ, quàm ipse foret judicaturus. l. un. §. 1. ff. de off. præf. præf. Utuntur autem jure & prerogativis antiquorum prætorij præfectorum. Wesf. in par. ad tit. à quibus appell. num. 3. & hoc privilegio itidem utitur Elector Brandenburgicus, ab utroque enim appellare non licet, nisi ob denegatam justitiam & nullitatem processus. Vid. Gerlach. Buxtorff. th. 94. A Moguntino autem non licet appellare, nisi causâ valor adscendat ad summam 40. floren. Principis Electoris Palatini subditi, Im obern vnd vntern Fürstenthumb der Pfalz am Reyn vnd Beyern / non possunt appellare, nisi mille florenos excedat causâ; Omnes autem Electores hoc de non appellando privilegium obtinuisse, postea tamen contrario usû illud ipsum perdidisse adserunt, Arnif. lib. 2. de jur. Majest. c. 2. n. 3. Schurff. Cons. 29. num. 1. sent. 3.

25. Vectigalia nova instituere de reservatis Cesaris est. Et sicut jure Civili nec præfidi provincia, nec alijs sine Imperatoris præcepto indictio vectigalis permittitur, ita hodie in Imperio, nullus status nova vectigalia per se instituere potest. Myns. 5. obs. 26. num. 1. & 2. Huc pertinet jus concedendæ civitatis. Arg. l. 1. C. de Metrop.

26. Collectas quoque Imperij in nostra lingua die Reichssteueren solus imponit Imperator, vi suprema jurisdictionis, si vel necessitas urgeat resistendi Christiani nominis hosti  
H  
vel.



vel Imperator expeditionem Romanam suscipiat &c. Aliæ vero collectæ à quovis Principe vel Magistratu in casibus necessitatis sine Imperatoris licentiâ indici possunt

27. Nundinarum jura solus largitur Cesar l. un. C. de nundi. Postarum institutio, quas cursus publicos vocamus, Cesari reservata est. Cujac. ad pr. tit. C. de curs. pub. Tandemq; jus viæ publicæ, illius nimirum viæ, cujus solum publicum est, & per quam populus ire solet, eine Freye Kånserliche Strasse / quod jus tamen plerog; Imperij principes vel expressâ vel tacitâ conventionione acquisitum habere videmus.

28. Et hæc de Magistratu absolutè summo; Magistratus autem respectivè summus est, qui quidem alium se habet superiorem, videlicet Imperatorem, in suo tamen Imperio summi Magistratus fungitur officio; hujus generis sunt Rex Romanorum, Electores, Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravij, Principes, Comites, Barones, Lib. Imp. Civit &c. De quibus paucissimis me expediam.

29. Et primo de Rege Romanorum, qui eligitur in particularibus Electorum Comitij, quæ dicuntur Wahltage / & quidem superstite adhuc Cesare, ut certus in Imperio habeatur successor, est autem hic perpetuus Imperij Vicarius, censeturq; unum cum Imperatore habere tribunal, & Imperatore absente omnia facere potest, quæ ipse presens faceret, arg. l. 2. C. de Off. ejus, qui vic. ali.

30. Ad Electores; Quo tempore autem hi constituti fuerint, diversum sentiunt politici; verior tamen eorum videtur opinio, qui tacito principum Imperij consensu hoc Septemvirale collegium irrepsisse putant; Jus autem Cesarem eligendi ipsis Electoribus competere dubium nullum est, Aur. bull. tit. 7. nec prius è loco Electione destinato ipsis disceden-



scedendum, nisi omnibus numeris absoluta sit electio, si spacio 30. dierum non consenserint, ex Aurea Bulla dispositione, pane & aqua tamdiu alendi sunt, donec in unum conspicerent, Vid. Schonb. & Kubach. eidem Electorum Collegio, non pontifici degradatio competit.

31. Proximam juxta Electores dignitatem obtinent Archiduces Austriaci.

32. Dux dicitur, quod ducat & regat exercitum, unde Herkogel vel quod ipse alios ad Virtutem ducat; inter hos, qua tales nulla differentia est, sed duntaxat ordo in sessionibus. Vult. 1. de feud. 4. n. 14. quatuor tamen vocantur Duces Imperij: Brunsvicensis, Bavarix, Suevix & Lotharingix.

33. Marchiones sunt praesides limitanei, qui assidue ad Imperij limites excubabant in armis, cumq; finium curam agerent, simul populis, quos armis defendebant adversus vicinos hostes, jura dabant. Hodie 4. sunt: Brandeburgensis, Misnensis, Moravix & Badensis.

34. Landgravii erant judices totius alicujus provinciae, horum itidem 4. Thuringix, Hassix, Alsatix, Leuchtenbergensis.

35. Comitum nomen a comitando & sequendo est. I. item apud Labeonem §. Comitem ff. de injur. Turneb. 21. advers. 28. nostris moribus dicuntur Comites, quibus Comitatus dignitas Codicillis Caesareis, vel usu longo vo acquisita est. Petr. Greg. lib. 6. Synt. c. 8. Sigon. de Regno Ital. lib. 7. n. 30. fol. 175. Quatuor autem ex Comitum ordine familiae praecipue in classem Comitum Imperij receptae sunt, quarum Clivenses & Sabaudici in numerum principum adsciti, Cilienses extincti, hodie vero Perillustri Comitum SCHWARTZBURGENSIUM familia sola in hoc ordine reliqua est.



36. Barones, (sic dicti quod sint pares Comitibus, Vult. 1. de feud. 4. n. 14. p. 62.) sunt proceres proximo post Comites nobilitatis gradu ornati. Lancell. in templ. om. jud. lib. 1. c. 6. Sunt autem dignitate omnes pares, communiore nomine dicuntur Freyherrn / ideo forte, quod ipsis liberum sit, Comitiam suscipere dignitatem. Vult. d. l. pag. 63.

37. Liberae Imp. Civitates sunt, quae directò subjecte Rom. Imperio, jus sessurae & suffragiorum in comitiis habent; omnes autem pari jure censentur & communi appellatione der Frey und Reichsstädte comprehenduntur, nisi quod 4. illae primariae, Augusta, Aquisgranum, Metis, Lubeca peculiaribus ornatae sint privilegijs, Argentina etiam, Memminga, Noriberga, Wormatia insignia obtinent privilegia, nam in primà instantiâ in Cam. Imp. conveniri non possunt, Geil. 1. obs. 1. n. 20. Ab Aquensibus verò nunquam ad Cam. Imper. nisi ob denegatam & protractam justitiam, ex singulari privilegio, appellare licet.

I.

### Utrum Magistratus Politicus Deo placeat?

**N**Egant hoc Anabaptista, alijsq; Anarchi, verum Magistratum politicum, non tantum à Deo ordinatum, sed & esse sanctissimum, omni laude laude dignissimum, Deoq; acceptissimum probamus fundamentis irrefutabilibus, ex ipsis aqua vita fontibus desumptis, Gen. 9. Deut. 16. 2. Reg. 6. Dan. 2. v. 21. Rom. 13. v. 1. & seqq. Job. 19. v. 11. Probatur idem ex Elogijs honorificentissimis, de quibus in Th. 4. dictum. Severissimè etiam Deus ipse praecepit subditis, ut Magistratum suum debito prosequerentur honore: Djs non detrahes & principi populi non maledices. Exod. 2. v. 28. & qui Magistratus resistit, Dei ordinationi resistit. Rom. 13. v. 2.

AN.



II.

An princeps omnibus omninò solutus  
sit legibus?

**A** Deò intricata hac est materia & involuta densissimis  
opinationum nebulis, ut Delio natatore opus esse videat-  
tur, quidam enim expressè negant, propriè principem so-  
lutum esse legibus, quod videatur tantum solutus, l. ex imperf. 23.  
ff. de legat. 3. Gothofr. ad Nov. 105. in fin. Quidam solutum esse  
volunt, sed tantum civilibus, nullo modo verò, Naturæ & gen-  
tium & c. Vult. Bronch. Bodinus, Arnif. Hær. Lips. & alijs quàm  
plurimi; Verùm principē summū omnib. legibus solutum  
esse defendo cū Dn. præceptore Riemero Jcto clarissimo; idq. eum  
non habere ex quodam privilegio, sed jure ipso, quatenus ei  
& in eum L. Regiā omnis translata potestas est; Queritur  
autem hoc in loco non de præceptis naturæ, sed de legibus  
quatenus scilicet illa præcepta legis naturam induunt, & divi-  
ni ἀναγκαστικῆς adnexam habent, an his fs. Princeps Ro-  
manus obligetur? & Respondetur, nullo modo ipsum ob-  
ligari; nemo enim suis tenetur legibus, nemoq. sibi imperare,  
nec se prohibere quisquam potest, l. pen. ff. de Recept. arb. hinc  
Justinianus Imperator; Quis tantæ authoritatis est, ut nolen-  
tem principem possit coarctare? Nov. 23. Contraria opiniones  
ex facili refutari possunt, decisione ex philosophiæ pra-  
cticæ principiis desumptâ, quod si fiat, res antea nimis ob-  
scura luce clarior erit meridianâ.

III.

Num Tyrannus à quolibet necari im-  
punè possit?

**P**ossunt plura de necando, vel non necando tyranno, in  
utramq. partem adferri, quæ solent confuse ab his, quorum  
H 3 meus



*mens affectibus vel passionibus obsessa aut turbata est, in eam partem, in quam magis inclinare videntur, detorqueri.*

*Tyrannus autem hic proprijsimè sumitur pro eo, qui vi, dolo, & malis artibus alienum ad se rapit imperium, & sic invitis subditit se dominum constituit, non verò pro eo, qui legitimè Rex vel Princeps constitutus, suo abutitur imperio. Dicimus itaq; ejusmodi Tyrannum proprijsimè sic dictum, de quo nobis sermo, licitè è medio tolli posse; leges enim fuère latae de tyrannis impunè offendendis, deq; morte ijs justè inferendà, de premio honoribusq; tyrannicidis discernendis. Meminit Cicero duarum legum de necandis tyrannis, & de premio necantium, quarum prior. Qui tyrannum occiderit Olympionicarum præmium accipito, & quam rem volet à magistratu sibi deposcito. & magistratus ei concedito. Altera est. Tyranno occiso, ejus proximos cognatione magistratus necato. Alia leges Græcorum aliarumq; gentium, quæ non patiuntur securè vivere tyrannos, premia, honores, statuasq; necantibus statuunt, quod patet exemplo Herculis, qui non aliundè fama celebritatem nactus, quàm ab obtruncatione Tyrannorum, sic Chud. in lib. 3. Jud. Salvator à Deo suscitatus est, qui Regem Eglon Moabitarum propter Tyrannidem è medio sustulit. Nec ulla propemodum in hac sententia videtur difficultas, quin non liceat privata vel publica persona hujusmodi invasorem Reipub. aut principatus necare; quia nullus huic subditus dici potest, qui hostis est. Et reus divina & humana majestatis est invasor principatus, quia non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, mortisq; reus est tanquam Dathan, Core, & Abiron, qui volentes usurpare principatum, vivi terra hiatu deglutiti sunt, & Imperatores reum mortis dixerunt, qui supremi dominij notas usurpaverit. l. sacri affatus C. de diver. rescrip. Qualis is, qui ex privato vult effici princeps, & in*

*Aristo-*



*Aristocratia, qui ex comite vult effici sociorum dominus. Neq̄  
reputandus est seditiosus, qui vim talis tyranni propulsat, quia  
id quod intenditur ab illo non ordinatur ad bonum commune,  
sed ad privatam commodum, ut tradit Arist. 3. pol. & 8. Eth.  
Imò laudandus is potius, qui patriam contra istiusmodi tyrannicam  
potestatem tutam prestare conatur.*

IV.

An & foeminæ capaces sceptri?

**H**ic in diversum abitur, quidam enim pro imperio mulierum quidam contra illud utrinq̄ non minorum gentium politici pugnant; nostra sententia est: Consuetudinem, inprimis attendendam esse, quâ si successio foeminarum in regnis probetur, nostrum non est illam omninò improbare & reicere; quare si in Anglia, Scotia, Sicilia, Apulia & c. Veteri consuetudine & more receptum, usq̄ confirmatum est, ut fœmina in Regno, Ducatu, Principatu succedant, non temerario ausu modus ille immutandus est; neq̄ est ut quis utatur auctoritate Aristotelis dicentis: Mas cum fœminâ comparatus melior est, hæc autem deterior, & ille quidem imperare, hæc autem Imperio parère debet; hæc verba enim si attentius pensculentur, nostrâ non repugnant sententia; non dicit Philosophus omnem virum, sed virum meliorem esse fœminâ; non omnem fœminam, sed fœminam subesse viro; multa siquidem fœmina reperiuntur non deteriores sed meliores viris. Errant itaq̄ & hallucinantur omninò qui fœminis imperium negant, qui omnes jugo servitutis premunt, inter illas enim sunt Sabæ, quæ insigni sapientiâ, Cornelix, quæ multiplici rerum cognitione, Artemisix, quæ rarâ fortitudine, Susannæ, quæ mirâ castitate ipsos viros superant, Casus lib. 1. pol. c. 3.

Viro





*Viro - Juveni*

Præstantissimo Dn. **AVGVSTINO**

*CLÛPPELIO amico & Collega meo  
multùm æstimando.*

**M**acte tuâ virtute; citò sic ibis ad astra,  
Sic honor excellens magno tibi nomine surget!  
Nuper *Moralis Sophiæ* vexilla sequutus  
Ipse reportâsti ex hinc ampla stipendia laudis,  
Nunc tibi, *ClÛppeli*, **SOPHIÆ CIVILIS** aperta est  
*En sacrata domus, cujus penitralia solers  
Perreptare cupis magno conamine; rectè.*  
Hoc iter, hæcce via est, queis ad delubra Themistos  
Tenditur, his sine qui conatur ducere quemquam  
Ad loca sacra *Δῶρε*, is magnis excidet ausis.

*In civile quidem dictu, ast si vera fatemur,  
Invenies multos ad sacra palatia Juris  
Tendentes, quos nulla fames, sitis, ardor adurit  
Sacrata Sophiæ; MALE\*! Nō nego remige posse\* *arg. l. 1.  
Hoc sine se Juris quemquam committere vasto §. 1. ff. de  
Oceano, verùm optatum contingere portum *Inst. & Jur.*  
Hoc opus, hic labor est. Sed tî præcordia finxit  
De meliore luto Titan, qui sacra Themistos  
Castra sequuturus modò tela politica quæris;  
Maacte tuâ virtute; citò sic ibis ad astra  
Sic honor excellens magno tibi nomine surget!**


*LLq. adposui*

M. Christianus **Schilt**  
Juris Studiosus.









*Viro - Juveni*

Præstantissimo Dn. *AVGVST*

*CLÛPPELIO amico & Collega meo*  
*multùm æstimando.*



*M*acte tuâ virtute; citò sic ibis ad astr  
Sic honor excellens magno tibi non  
Nuper *Moralis Sophiæ* vexilla sequi  
Ipse reportasti ex hinc ampla stipendia laud  
Nunc tibi, *Clippeli*, *SOPHIÆ CIVILI*  
*En sacrata domus, cujus penetralia solers*  
*Perreptare cupis magno conamine; rectè.*  
Hoc iter, hæcce via est, queis ad delubra  
Tenditur, his sine qui conatur ducere que  
Ad loca sacra *Διὸς*, is magnis excidet ausis  
*Incivile quidem dictu, ast si vera fateri*  
*Invenies multos ad sacra palatia Juris*  
*Tendentes, quos nulla fames, sitis, arbor adurit*  
*Sacrata Sophiæ; MALE\*! Nō nego remige p*  
Hoc sine se *Juris* quemquam committere v  
Oceano, verùm optatum contingere port  
Hoc opus, hic labor est. Sed tî præcordia fini  
De meliore luto Titan, qui sacra Themist  
Castra sequuturus modò tela politica quæri  
Maacte tuâ virtute; citò sic ibis ad astr  
Sic honor excellens magno tibi non

*LLq̄ adposu*


M. Christian

Juris














the scale towards document

comite vult effici sociorum dominus. Neq;  
sus, qui vim talis tyranni propulsat, quia  
illo non ordinatur ad bonum commune  
modum, ut tradit Arist. 3. pol. & 8. Eth.  
ius, qui patriam contra istiusmodi tyran-  
am prestare conatur.

#### IV.

#### oeminae capaces sceptri?

abitur, quidam enim pro imperio mulie-  
contra illud utrinq; non minorum gentium  
t; nostra sententia est: Consuetudinem  
n esse, quâ si successio fœminarum in regnis  
n est illam omninò improbare & reijcere;  
otia, Sicilia, Apulia & c. Veteri consuetu-  
n, usq; confirmatum est, ut femina in Re-  
atu succedant, non temerario ausu modus  
neq; est ut quis utatur auctoritate Aristo-  
um faminâ comparatus melior est, hæc  
le quidem imperare, hæc autem Imperio  
rba enim si attentius pensiculentur, no-  
ntentia; non dicit Philosophus omnem  
orem esse fœminâ; non omnem fœminam,  
viros, multa siquidem fœmina reperiuntur  
ores viris. Errant itaq; & hallucinantur  
perium negant, qui omnes jugo servitu-  
s enim sunt Sabæ, qua insigni sapientiâ,  
plici rerum cognitione, Artemisîæ, qua  
annæ, qua virâ castitate ipsos viros su-  
pt. c. 3.

Viro